QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die octavâ Aprilis 1721.



M. MICHAELE-LUDOVICO RENEAUME, DE LAGARANNE, Doctore Medico, Regiæ Scientiarum Academiæ socio, & Chirurgiæ Vernaculæ Professore, Præside.

An alvi laxitas in herniosis Ileum præcavet?

I.

QUI bene valet & suæ spontis est, nullis debet se legibus adstringere, inquit Hippocrates Romanus. At quoniam frequenter à tali statu decedere solemus; ut redeat sanitas bonorum omnium condimentum, sine quo cætera vilescunt & sordent, leges sapienter positæ sunt à Veteribus, multòque sapientiùs aliæ additæ à subsequentibus. Has prophylacticas vocavêre seu præcautiones, quæ venturos antevertunt morbos; quibus etiam bene valentes astringi tenentur si sapiunt. Hæ quidem non systematum ope inventæ, sed experientiâ & observatione ducibus. Amissa sanitas restituitur morbi profligatione per contraria: acquisita autem & constans similium ope conservatur. Nobis verò præstantior videtur qui mala avertere & præcavere noverit, quàm qui simpliciter sanare. Hoc ultimum fortè Fortunâ nonnunquam præstant spurii & abnormes Medicastri ἀμέθοδοι, καὶ ἄμαθοι non secùs ac mulierculæ. Astrologi non semper errant etiamsi mentiantur. At utrumque, hoc est sanare & præcavere morbos norunt legitimi Medici instrumento præsertim illo, quod diætæ nomine insigniunt. Cave intellexeris tantumodò alimentorum exhibendi rationem. Hæc enim res illas omnes, quas minus aptè non naturales dixêre, complectitur & dirigit; quarum rectum ac legitimum usum præscribit; aëris scilicèt cibi, potus, &c. Theoreticam horum omnium doctrinam hygieines nomine designant: hæc Medicinæ pars tantoperè à Physicis practicis hucusque, nec dum satis exculta, quanto in pretio haberi debeat, soli ferè intelligunt sapientes & experiuntur sobrii; hâc ipsâ Medicum à quovis etiam perito artis ministro discernere poteris. Hi medicamentis satagunt morbos & symptomata auferre; Medicus ferè semper curam morborum à regimine auspicatur, & sæpè hoc unico perficit instrumento: quia bene utenti bonæ, malè utenti pravæ fiunt res istæ; quas diæta variè pro ætatis, sexûs, conditionis, loci, temporis, quin & morbi varietate, dispensat. inter illas non ultimum sibi vendicant locum excreta & retenta. Si enim ea quæ excernuntur, debito se habeant modo, statisque temporibus amandentur, nec retinenda excernantur; vigebit sanitas & conservabitur: sin minus, è statu suo decidet corpus; morbisque subjicietur. Multa v. g. de retento semine fabulosa circumferuntur, melancholicis affectibus potius adscribenda; quæ de ultra modum aut illegitimè excreto narrantur, veriora comperies. Naturalium functionum, officina alvina regio, nutritionis & generationis organa complectitur, præcipuamque excernendorum materiam in sinu suo continet. Inter hæc

Aurel. corn. celf. l. 1. c. 1.

Dodartius comprobavit ſanctor. experim. Fontenelle Elog. des Acad.

vulgarium hominum ſenſu copioſiſſima exiſtimatur fæcum excretio; quod experientiæ ſanctorianæ Dodartiæque repugnat. Nænias non cantamus phyſicas, ſed obſervatores ſedulos ſequimur. Fæces alimenta ſunt ipſa, quæ innumeras in tranſitu ſuo ab ore ad podicem perpeſſa ſunt alterationes, certamque imminutionem, nutritioni impendi ſolitam: dividuntur enim, diluuntur, triturantur, variis permixta humoribus modo colore inficiuntur alieno; modò in tenuium inteſtinorum cribro quaſi tranſcolata, lacteum deponunt cremorem, modò obſtructis lacteis ductibus ipſo chylo fœta, craſſa ſubeunt inteſtina; unde caſeoſæ nonnunquam egeruntur dejectiones: modò ſale bilis orbata nihilo vel albo, ut aiunt, Græco ſimilia decolores monſtrant fæces; modò duræ & quaſi exſiccatæ remorantur, aut foras prodeuntes podicem lacerant: modò juſto dilutiores; hinc modò citiùs, modò tardiùs levant corpus. Dum naturalem ſervant ritum, nullam creant moleſtiam: ſin tardiùs; quot & quanta accerſunt mala! ſi, quàm par eſt, citiùs; alterius generis morbos inferunt & ſymptomata, quæ in initiis legitimo dictatum rerum uſu ad mediocritatem redacto facilè compeſcerentur. At inter morbos quos fovent & exaſperant retentæ fæces, hernias ſi numeravero, numquid à veritate alienum dixero? morborum prophylaxis tota verſatur in dirigendo, non ordinario, quod ſanis reliquit, ſex rerum non-naturalium, ut aiunt, uſu; ſed convenienti uniuſcujuſque diatheſi, pro morbis quos ei timendos novit & arcere deſiderat: ut futura quæ prævidet avertat mala, ſicque ſanitatem retineat. Si igitur alvi conſtrictio & fæcum durities herniarum cauſa haberi queant, & revera illas exaſperent, ileum lethalem excitando, alvi profectò laxitas è directo oppoſita & contraria has impediet, illumque tam dirum præcavebit morbum, herniæ ſupervenire ſolitum: unde legitima genuinaque habebitur prophylaxis utriuſque morbi, quos plebs inepta Chirurgiæ unicè mancipatos autumat.

II.

TAM latè nunc ſeſe aperit Chirurgiæ campus, ut jam Ars illa non ſecùs ac Medicina dividi cœperit: id potius materiæ ubertati, quàm artificum inertiæ adſcribendum cenſemus; unde pars Chirurgiæ operatricis, quæ ſyntheſeos illius ſpeciei dedita, quam Taxim vocant, herniarum curam ſuſcipit, ſive has tactu reponere ſatagat, ſive faſciis reductas continere, adſtringentibuſve medicamentis aggrediatur, proprios ſibi vendicat artifices, qui toti incumbunt ſymptomatibus præcavendis, inter quæ ileus omnium maximè timendus. At priuſquam ſyptomatis illius herniæ ἐπιγινομένυ cauſam expendamus, herniarum natura diſtinguenda, & ilei ſpecies evolvendæ. Herniæ nomen παρὰ τὸ ἔρνος formatum exiſtimat Scaliger, hinc Celſus ramicem vertit, ſed equivocum ſic dilucidato, tumor omnis veteribus κήλη dictus eſt quocumque in loco; ſed poſteà frequentiùs de ſcroti tumore, quatenùs deciduo, uſurpata hæc vox: unde, Gallis, *deſcente*. Sed quoniam tres ſtatui ſolent generales tumorum cauſæ, fluxio ſcilicèt, congeſtio, & partium decubitùs, licet in ſcroti morbis concurrant; facilioris diſtributionis causâ (ſatis, enim obſcuram tradiderunt Scriptores) tibi ſit hæc lex. Qui tumor à contiguitate ſolutâ ſive partibus à ſede motis efficitur, pro duplici partium conditione, ſi duræ ſunt, luxatio dicatur; ſi molles, herniam in genere Latini nuncupant, & latius accipe quàm ſolitum eſt, hoc nomen; licèt à multis ex aliâ parte magis, quàm par eſt, extendantur. κήλης & ramicis nomina herniæ generaliter ſumptæ non omninò reſpondent; etiamſi certis tantùm competant tumoribus, falsò tamen & minus aptè gutturis tumorem Alpes inhabitantibus familiarem bronchocelem dixêre: melius aptatur ſcroti tumoribus quos appellant hydrocelem, pneumatocelem ſeu phyſocelem, liparocelem, ſarcocelem & circocelem ſeu ramicem, vaſorum ſcilicèt ſpermaticorum dilatationem, unde etiam varicocele audit. Etiamſi ramicis generali nomine hernias omnes indicet Celſus; hi tumores tamen minus rectè herniarum in numero collocantur, niſi pro ſpuriis habeas herniis. Rectiùs herniarum generi adjungerentur ſequentes, totius oculi extra orbitam prominentia, πρόπτωσιν dicunt, vel

F. Aquap. part. 1. cap. 71.

L. 7. c. 18.

uveæ extra corneam ulceratam vulneratamve prolapsus ; staphyloma audit? uvulæ, ani, uterique decidentia, vel testium recursus ad inguina, vel intestini pars in iliacâ passione in partem vicinam sus deve protrusa & condita. At vulgari more loquentes, herniæ legitimæ nomen tribuemus iis solummodò morbis, quibus ex abdomine partes exire solent; quod multipliciter accidit. vel enim vulva ligamentorum latorum vitio, vel anus musculis suis alteratis subsident : nec adeò rarus est vesicæ ipsius in scrotum descensus, seu contenti liquoris pondere, sive tunicarum laxitate : quin & stomachi portio extra abdomen prorumpens unà cum peritoneo aliquoties observata fuit, dilatatis lineæ albæ fibris, infra umbilicum vel supra, ejusdemque strangulatio cardiogmo, aliisque stipata symptomatis. Noli enim tibi persuadere peritoneum in aliis locis quàm in inguine non posse dilatari, herniamque generare. Placet hac super re Medici Amstelodamensis candor, qui se diversas hernias vidisse fatetur quas Chirurgi, abcessuum ritu tractarunt, affertque illorum ridiculam excusationem, quod scilicet non alio in loco quàm in inguine, herniam fieri posse crederent. Quod ad stomachi herniam spectat in ipso pectore factam vel à lethali vulnere, cæsis, vel empyematis acri materiâ corrosis diaphragmatis fibris, eam profectam fuisse ostendunt duplex fibrarum ordo, & vis ingens hujus musculi. Hujusmodi observata fuit ab aliquot annis in Fratrum Charitatis nosocomio, per vulnus ictu gladii inflictum, ab inferioribus ad superiora, quo cæsæ transversim fuerant carneæ diaphragmatis fibræ. Rara hæc quidem; ideòque jam quas veras vulgus vocat, intueamur hernias; illas scilicet quæ ex intestino, vel epiploo, vel utroque simul excitantur : denominationem suam prositu variant, nam in diversis abdominis regionibus reperiuntur, & ubique ferè à vulnere oriri possunt herniæ. Speciem unam notat Dolæus, quam lumbarem appellat, inter costarum notharum extremam, & ilii marginem; à fibrarum transversi, obliquorumque musculorum divisione factam : quæ quidem infrequens, si unquam extitit, nisi à vulnere; ad obices enim in hoc loco consistentes superandos, quanta vis foret necessaria. alia in hypogastrio observata sæpiùs fuit, quæ abscessum mentiens, minus expertos decipit; hæc à male coalescente peritoneo intra abdominis cavitatem quam musculi formant; extra peritoneum inter ipsum scilicet & musculos, in ipsa peritonei cicatrice diducta; alvinam vernacule, *hernie ventrale* vocant, prodit. Sic relaxato umbilicalis funiculi nodo exurgit exomphalos, vel etiam ad latus, aliâ de causâ. Præter inguinalem herniam, bubonocelem dicunt, seu incompletam, duas adhuc species in eâdem ferè regione considerabis; harum prima nomen obtinuit nundùm; cùm nempè deciduæ partes inter musculos subsistunt, quod initiis morbi fieri possibile est; annotata quidem est aliquandò post imperfectam reductionem, propter annulorum dispositionem, & pravum ægri situm repositionis tempore. periculo certè non vacat, præsertimque si inscius æger, arctiori subligaculo utatur. Cum autem hernia à spermaticis recedens vasa sequitur cruralia, cruralis habetur, non ita infrequens morbus. tandem completa erit hernia, oscheocele dicta, cùm in scrotum masculis, ad pudendi labia in mulieribus, pervenerint prolapsæ partes; quidquid contra senserint Chirurgi veteres, quibus non innotuerat ligamentum rotundum, à peritoneo membranam mutuari. Pro partis conditione habetur etiam Enterocele, Epiplocele, & Enteroepiplocele; quæ symptomatis variis ægros cruciant : inter quæ timendum horrendumque magis nullum ileo, quem totis viribus præcaveat iater, causam removendo.

Videsis Ruischii observat. de lienis hernia quin & de utero unà cum contento fœtu foras prorumpente & reposito.

Barbetianæ Chirurg. part. 1. c. 7.

Bernard. Valentinus Inst. Chir..

III.

ILEI herniæ supervenientis causam ab alvi constrictione proficisci, duritiem nempè & copiam fæcum, à quibus etiam veræ & legitimæ sæpiùs herniæ generantur, sapienter affirmabis : nam reverâ horum affectuum, sed præsertim ilei, causam nullam aliam require potiorem ipsâ constipatione. Perpendas velim omnes herniarum causas, & fiendi modos; comperies adesse antecedentes,

prævias nempè quaſdam partium diſpoſitiones, quæ vel ab ipſarum laxitate, ſive à pinguedine, ſive ab humiditate nimiâ, vel à pravâ conformatione, vel deniquc ab unitate ſolutâ pendent. Hæ quidem à nobis adjuvantes cenſentur, exceptâ ultimâ, quam inter efficientes numerabimus, quales ſunt ea omnia quæ inteſtina foràs protrudere valent, vel compreſſione, vel percuſſione. Primum efficere queunt pondere ſuo, excrementorum copia, aut in obeſis pinguedo: alterum efficaciùs adhuc præſtant muſculi utriuſque ventris medii, & infimi, unà cum ſepto medio, actione & reactione mutuâ; præſertim ii qui reſpirationi famulantur, quorum motus indeſinens, dum inteſtina corpora lævia, rotunda, roreque madida premit; cogit fluxilia hæc corpora hinc & inde elabi, & hæc ubi minores inveniunt obices, eo ſeſe proripiunt. Cùm autem nulla aderit via, donec aliquid adveniat quod vim efficientis augeat, non obices ſuperabunt, non fiet partium prolapſus. Procatarctica requiritur cauſa, quæ anſam præbeat: cujuſmodi ſunt ictus, caſus ab alto, gravis ponderis geſtatio, aut aliqua vehemens, inſolitaque totius corporis commotio; quales eveniunt ex ſaltatione, equitatione, vociferatione, cantu, ſternutatione, ululatu, tubæ, vel ſimilium inſtrumentorum inflatione, vagitu in pueris, tuſſi denique, aut niſu ad expellendas fæces alvo aſtrictâ ſiccâque nimiùm; aut mulierum conatibus partûs tempore. Hinc matres, obeſi, cantores & tubicines, veneri dediti, qui ſtant diutiùs, pueri, pinguibus aut oleoſis abutentes alimentis &c. Hoc morbo ſæpiùs torquentur: verùm quis non miretur? has omnes cauſas remotas judicamus; audemuſque affirmare nullam ipſas efficaciam habituras, niſi mediante fœcum copiâ, aut duritie: ut enim aliqua vis exurgat, requiritur corpus aliquatenùs ſolidum, aut quod ſolidi vices obeat. Licèt ergo cauſam continentem & proximam agnoſcant plerique partes ipſas à ſede motas, Epiploon nempè, inteſtina, ileum & jejunum, rarò colon cum appendice; has nos ſuperandis obicibus ſufficientes non exiſtimamus; niſi excrementorum, fæcumve copiâ turgeant. Antequam autem hæc ſcrupuloſiùs expendamus, memineris ileum, vel paſſionem iliacam (nomen à parte, quàm frequentiùs infeſtat, deſumit) dirum eſſe ſymptoma, inteſtinorum perverſo ſcilicet motu periſtaltico, in quo per os fæces rejiciuntur, propter canalis inteſtinalis infarctum. Obſtructio hæc varias quidem agnoſcit cauſas. Inteſtina enim vel ab inflammatione coarctantur, vel contentis infarciuntur fæcibus, vel à tumore interno anguſtantur, vel ab externâ, veluti ponderis incumbentis preſſione, occluduntur, vel tandem ſtrangulatione, quâcumque id accidat cauſâ, fæces remorantur, & retrogrado motu ferri coguntur. Excreſcentia fungoſa nuper in cadaveris pyloro viſa eſt, dum viveret apepſiâ continuâ laborans, periodicè alimenta evomebat, ingeſtorum proportione ſatis copioſè; licèt non omninò ſubſtitiſſet alvus. Tumoris externi exemplum hoc anno etiam habuimus in nobili Matronâ, de quo tumore inter collegas, non ambigebatur; huic inteſtina tumoris ſchirrhoſi pondere, in lumbari hypogaſtricâque regione, peſſulo quaſi obſerata, non omninò tamen occluſa erant: liquida enim ſed fœtidiſſima quandoque per inferiora egerebat, ileo per intervalla longa periodico torquebatur, atque alimenta parum alterata per aliquod tempus rejecit, tandemque peritura, fæces ipſas non ſine cruciatu vehementi reddidit. Aliam prorsùs non minus obſervatione dignam videre contigit ilei ſpeciem, æſtate ultimâ, in juvene. Hæc Medicorum ingenia torſit; miſer hic macie deturpatus intolerabilia patiebatur tormina, vomitu per intervalla non adeò frequentia recurrente. Alvus tamen modò fluida, modò etiam ſpiſſa dejiciebat: propter maciem tumor inter umbilicum & pubem medius, verſus ſuperiora dextri lateris, ſeu lumbos quaſi aſcendens, oculis ſeſe offerebat non renitens, ſed peculiaris profectò indolis: nam ferè abſque dolore palpari poterat, præbebatque fluctuationis ſenſum ſingularem. Primâ quidem fronte ad inſtar emphyſematis; ſed poſtea laxum te, granis, vel arenâ oppletum ſaccum, contrectare dixiſſes; cum quâdam crepitatione. Sparſa de hoc caſu ratiocinia exploſit cadaveris ſectio. Immodicè in ſui extremo dilatatum inteſtinum ileum, ſaccum efformabat fæcibus tumidum; quibus ceraſorum nuclei tantâ copiâ permixti

erant, prunorumque non pauci, ut heminæ & ultra mensuram superarent. Ab anno saltèm ingesta cerasa suspicari licuit. Ab octo mensibus cœperat morbus. Prima labes, inflammatio, quæ tum in mesenterio, tum circa intestinum, in schirrhi speciem desierat. Fibræ intus ex interna tunicâ enatæ, hinc & inde absque ordine sese decussantes, alteram valvulæ speciem, à coli initio pollices duos distantem, efficiebant, foramine exiguo, in sui medio perviam fæcibus liquidioribus. Frequentem verò ileum esse à fæcibus induratis si propria non suppeteret experientia, Fernelium aliosque testes adducere possemus. Hunc si offendetis cave aggrediaris curam systemate aliquo innixus; emetica, catharcticave propriè dicta, fugias angue pejùs, author tibi sum; sed venæ sectione, Balneo, fotu, clysmatis emollientibus, oleis, & omni diluentium genere, adjectis in fine ut loquuntur minotantibus, omne punctum tuleris. Sic in herniâ omni si strangulari intestinum eveniat, quocumque ex enumeratis modis orietur symptoma illud horrendum, ileus lethifer. Tum in tanto discrimine ægri nullam mali sui causam habeant quam fæcum in alvo commorantium duritiem, & copiam. Nam herniæ duplex fiendi modus; vel illicò per vulnus, rupturamve motûs violentiâ subitò factam, partes locum mutant; vel decursu temporis, quæ sensim sine sensu fit hernia, ortum repetit ab interaneorum impulsu, materiâ excrementitiâ turgidorum, continuò in peritonei fibras arietantium, & pondere suo mesenterii membranas trahentium. Mathematici Physicique nôrunt quanta sit percussionis continuatæ vis, de quâ si dubitas, Botellum adi. Scire est enim vim omnem exurgere ex mole multiplicatâ corporis, per velocitates, aut ipsarum quadrata, ita ut exiguum corpus ingenti velocitate si prodeat, validum impulsum habiturum esse constet: magnum verò cum minimâ, parum effectûs aut nullum, ad violandas partes. Itaque si vacua concipiantur intestina, aut solido oppleta corpore, facilis evadit conclusio: at fæces inspissatas solido æquivalere nemo negaverit, cùm sæpè adeò exsiccentur, ut non modò duræ evadant, sed etiam non ratò lapidescant. Vidi olim pueri intestinum rectum valdè dilatatum in quo fæces erant induratæ & stratæ, instar lapidum in muro, certâ ratione consitorum, quarum inter commissuras, fluida magis effluebant. Atque in infantibus hoc non adeò infrequens malum; quod exeuntium forma, vittarum instar prodit. Igitur si super invicem nativâ lubricitate repentia concipias intestina, & in quamcumque partem impelli prona, atque impingentia ubi resistentia minor, necessariò concludes illa, ubi vis sufficiens aderit, herniam procreatura, fibras scilicet mesenterii extendendo, peritoneumque dilatando. Sed vis illa nusquam repetietur in canali membranaceo, nisi aliquid solidi contineat, hoc est, fæces plus minusve spissas, & in majori aut minori quantitate; exceptâ subitaneæ herniæ occasione, in quâ velocitas aucta, molis defectum compensabit. In hoc casu accidere potest ruptura si quæ fiat, de quâ dubitant non pauci aliique pernegant; Licèt illius exempla bene multa, fortèque non satis dilucidata, apud Authores inveniantur: nec sine causâ. Ferè semper enim utraque peritonei membrana, vel si mavis lamina, ut distingunt Neoterici, saccum hernialem constituit. Ita ut in oscheocele inter utramque, extra saccum internum, spermatica occultentur vasa. Idem non evenit in herniâ crurali, quia vasorum cruralium vagina, etiamsi à peritoneo procedere videatur fortèque oriatur, ex aliquot fibris laxe interrextis, vasisque admodùm hærentibus componitur & vaginæ speciem exhibet. Hinc tantùm ad latus dum sub arcu, ut aiunt, quam hic musculorum aponevroses efficiunt, transit, Non verò intra illam, fieri consentaneum est: quodque certitudinem dictorum auger, in herniâ crurali non secùs ac aliis, & ipsa etiam cystocele, saccus ex utrâque internâ, externâque peritonei laminâ, constat.

Fernel. Path. l. 6. c. 10.

J. Munick Chirurg. l. 1. c. 30.

IV.

IN inguine frequentior esse consuevit partium prolapsus, tum quia declivem sternunt viam spermatica vasa, tum quia diductæ fibræ, in imâ transversi & obliquorum musculorum parte, aperturas relinquunt; quæ licèt dissitæ, pro situs varietate, aliquando juxta positæ, quasi in unum breve coeunt iter: annulorum nomen immeritò obtinent, nisi fortè quod obliquus externus aliquid

simile repræsentet : nam fibrarum tendinosarum hujus musculi divulsio per longitudinem, fissuræ in modum, sic se habet : in inferiori parte fibræ sese decussant, & ab aliquot aliis tendinosis fibris musculorum femoris, versus hanc partem originem ducentium, pariter decussantur sed supernè & infernè inibique certo modo intertextæ & exporrectæ, multorum oculis annuli formam exhibent. Non ideo tamen ita frequenter adhuc accideret hernia, nisi alia concurrerent; adest sæpius partium certa dispositio, quæ illius generationem juvat; humiditas, laxitasve membranarum, pinguedinis copia, pondere suo partes deorsum trahens, vel quid simile. in Exomphalo exempli causâ nodus, vel funiculi umbilicalis ligatura laxior quâvis de causâ, viam præbet : partes enim flexiles & naturâ suâ lubricæ ac impulsæ, facile irruunt & illam subintrant. At in pueris prævia & observatione digna sæpius reperitur partium bubonocelem adjuvans dispositio : peritonei processus dixêre, quos negat Blancardus, herniæque curatæ reliquias censet; sed ab aliis pro naturali habetur dispositione : ubi scilicet spermatica vasa exteriori peritonei membranâ circumsepta, ab obliqui externi annulo, ad testes feruntur. in infantibus ductus occurrit cæcus, calami scriptorii crassitie, pollicis longitudine, instar ductuum illorum quos non nulli observarunt Anatomici, & sub cæcorum nomine descripserunt in canibus; quos gradiendi modus, adversùs herniam tutos facit. Nuck qui primus illos in mulieribus invenit, masculis denegavit. Hi ductus in homine pravæ sunt conformationis morbus, causaque cur pueri tam sæpè herniosi fiunt. Si sensu aliquo deregere hos ductus concederetur in viventibus, aut audacter herniam prædicere, aut diæteticam prophylaxim instituere liceret. Cùm hic processus adest, si cæteræ concurrant causæ, facilis descensus : quamvis enim non omninò liberam inveniant viam, descensuræ partes; cum inibi minor adsit resistentia, vel minimâ vi, leves istos removere, & superare queunt obices. Notat Hippocrates hyeme præsertim pueros herniosos fieri; nullâ aliâ profectò de causâ, quam quod ut idem pronuntiavit, tum ventres sunt calidiores : fæces hîc calor inspissat, exsiccat, durasque reddit : unde non nisi magno iteratoque conatu egeruntur; auctaque intestinorum moles, sic majori vi in herniarum leves remoras agit. Quam salubris in hac diathesi foret, ad præcavendas hernias, symptomataque herniæ supervenire solita, Diætetica prophylaxis, intelligit quisquis jatrices fonte labra proluit : idque evidentiùs, si recordetur totam gymnasticem ut sanitati conducat, hac hygieines parte dirigi posse, quæ motum & quietem, ideoque exercitia moderatur. hujus præceptis occurritur procatharcticis causis; præcaventur nocumenta quæ ab exercitationum immoderatione exurgere solent : nam unicuique pro conditione & diathesi propriâ, prohibet motus vehementes, saltationes, ponderum gestationem, cantum, tubarum, similiumque inflationem, in aliis morbis non innoxiam; vel saltem imminutionem jubet, quia valde corpus concutiunt, vim interaneorum arietantium in annulos adaugent, additâ velocitate : præterea calefaciunt, torrent, & exsiccant viscera; constipationemque vel accelerant, vel adaugent. Hygeiasticis aliis legibus diæta obesitatem avertit, alui laxitatem procurat, alimentorum, membranas relaxantium, abusum vetat. Si autem hæc omnia dictis temperentur legibus, causæ omnes supra allatæ, parum aut nihil efficaciæ habituræ sunt, ad excitandam herniam : immò in herniosis dictæ præcautiones, veræ erunt ilei remoræ; ipsiusque generationem præpedient : si præsertim fluxilis alvus, excrementorum copia non oneretur. Aliter verò se res habebit, si excrementis scateat, quæ canalem intestinorum oppleant. quò spissiora hæc, solidiorave, eo majorem intestinis addent molem : ideoque vim & nisum (momentum ajunt mechanici) adaugere valebunt : unde prætermultos morbos quos creare solent, ipsas hernias accelerabunt, illasque & exasperare poterunt; ita ut letho proximus superveniat Ileus; hic quidem ortum suum ab hac potiùs causâ, quàm ab annulo strictiore repetit : licèt enim flatus in intestino strangulato contenti, non raró refusionem in abdomen cohibeant; diversa tamen non est strangulationis causa : id enim semper ab alvo nimis adstrictâ procedit. Nisi enim obstaret flatuum reditui, fœcum solidiorum co-

Blancardi Inst. Chirg. c. 25.

Graaf.

De loc. in hor. §. 12.

piâ, fluiditate nativâ, facile elaberenrur, vel minimâ rimâ. Quod verò flatus ab alvi constrictione oriantur, evincunt alvi ficciores, quæ tanto pedendi desiderio tenentur; flatusque ipsi qui tali alvo præditos tantoperè excruciant. In alvo enim laxâ & temperatâ, vix generantur flatus: quos nihil aliud esse comprobatur œolipilæ exemplo, quam aëris portio rarefacta: rarefactio autem à calore, & calor in visceribus, à fæcum subsistentium quantitate. Sed quod his omnibus coronidem imponit, præstantiores practici, ileum herniosorum, non aliter aggredi consueverunt, & curare, quam emollientibus, diluentibusque intus & extus adhibitis. Hujus curationis exempla apud Schenkium, Forestum, Hildanumque Chirurgorum sui ævi, Medicus licet, facile principem. Forestus l. 21 obs. 21, 22, &c. F. Hildanus, Cent. 2. obs. 81.

V.

SI herniæ situs indicationem non mutat, saltem media immutat, aut variam reddit indicatorum applicationem. Hinc quanti intersit herniatum species ab invicem propriis signis discernere, immò hernias ipsas, à cæteris tumoribus, qui ferè semper novitiis imponunt, nonnunquam & expertis; planum est. Probè itaque distinguenda ab abscessu, hernia illa, quam *ventralem* dicunt. Chirurgos hæc non paucos decepit. Bubonocele à bubone simplici, venereo, pestilenti, vel recurente in inguina testiculo; quem verò testium inflammatio pro oscheocele decipiet? Chirurgo quidem in tumorum dignorione falli turpe; at quantò magis medicinam profitenti, si non cognitâ herniâ, alium accuset affectum, remediaque contraria præscribat. Simili nuper errore periit vir optimus, quem melancholicâ affectione vexatum jactabant Thrasones; dum herniâ crurali conficiebatur: hanc cadaveris sectio ignorantiam prodidit. Sic optimates, sæpiusque magnates, condignas meritò luunt pœnas malè collocatæ fiduciæ: apud quos valent obsequium, & mendacium, Medicina verò ignoratur. Ne te talis error ludat: non semper ex ægri aut astantium relatione de morbo judica. Quotidie enim, tanta est in illis sui ipsius ignoratio, tenesmo aut dysenteriâ affecti, de diarrheâ conqueruntur: in pectoris morbis, stomachum accusant: & vice versâ in ventriculi affectibus, cor. Ægram itaque partem si fieri potest oculis lustrato, digitisque explorato: atque pyxidis nauticæ instar in herniis, cæteris consentientibus, venturi, timendive Ilei pathognomonicum hoc tibi sit signum. Tormina instar colici doloris, ab eodem loco strangulationis nempè initium sumentia, ibidemque desinentia; quæ strangulationem certò denuntiant, quam proximè sequitur iliaca passio. Cui Diagnosis nota erit, & herniarum, & ilei prophylaxim facile instituet; acerbumque hoc symptoma imminens arcebit; alvi scilicèt laxitatem procurando, blandis enematis, fotu, balneo, cataplasmatis emollientibus; uno verbo, quidquid intus aut extus emollit, ante & in ipso ileo, adhiberi convenit; & alvinæ fæces sunt largo potu diluendæ. His medendi peritus addet venæ sectiones, & alimentorum delectum, quantitate identidem imminutâ. Quoties enim inedia in obesis Chirurgi cultros retudit? posteàque intestino reposito, subligacula, Bracheria nuncupant, convenientia præscribet: non enim unius formæ esse debent. scuto assuta pila, aliquo modo cava nonnunquam requiritur: in epiplocele præsertim, quam aliter Zirbalem herniam appellat Chirurgiæ pater. Hæc in sinistro latere frequens, quâ non raro callidi senes, sub tertii dydimi larvâ, miseras simplicesque ludificant juvenculas uxores: ut laxioris inguinis turpidinem dissimulent. Dum jacet exiguus ingenti cum ramice nervus. Fasciarum solâ gestatione, unâ cum rerum non naturalium medicâ dispensatione, sanari potiùs consueverunt herniosi, quàm astringentium usu. In eo fœlicior ætas nostra, quod fasciis, rem veteribus inauditam, ferrum, addere noverit: ex quo elateres, in his mirabilem sortiuntur effectum: faciliùs nempè parti accomodantur fasciæ, seu cingula, securiùsque & strictiùs, illarum pilæ, scutave obturant, & continent. Fasciarum formas & parandi rationem multi exponunt; sed illas ferè omnes duabus figuris eleganter expressit Aquapendens; una cum aliis instrumentis ferreis, quæ fasciarum vices, in aliis morbis, & ad varios affectus subeunt. Quicumque dolorum atrocitatem, quibus vexantur herniosi, noverit; is facile prophylaxi se subjiciet: faciliùs adhuc à Medico invitabitur, si ipsi timenda,

Guido Cauliacus Tract. 6. doct. 2. cap. 7.

Edit. in fol. l.

perpetiendaque narret, & graphicè describat sævitiam Chirurgiarum, quibus symptomati funesto, à fæcibus induratis inducto, succurritur. Hâc auditâ narratione, quis de prophylaxi sollicitus non evadat? Sævitiem hanc extollit Taliacotius, operum modos ex Paul. Æginetâ, & Ætio referens: nam igne & ferro, hanc ægritudinem curabant veteres, ut notat Severinus: sed hujus Chirurgiæ immanitas exolevit. Exolevere etiam inutiles & damnosæ ligaturæ, ipsæque aureæ, vel plumbeæ: punctum vocant deauratum; nec nisi ab impostoribus suspendio dignis, propter sacrarum ablationem partium, deinceps perficientur. Jam quidem nos mitius, & magis cautè curamus: non hamis, ut docet Celsus, evolvendas partes suspendimus: nam digitis minùs durè, commodèque magis tractantur, unguibus leviter lacerantur membranarum, solvunturque adhæsiones, si quæ sunt. Immò ausi sunt absque ligaturâ, & divulsione totum impunè in abdomen refundere; rejectâ etiam (quod est doctrinæ Magati corollarium) turundâ clavatâ, seu capitatâ. Eventus fœlix, audaciam comprobavit. Attamen non sævitiâ, nec dolore, immò nec periculo, vacat his temporibus usitata, operis Chirurgici administrandi ratio; periti expertique etiam inter manus Chirurgi. celeritatem poscit operatio ista: Quoties enim tardiùs executioni mandata, inutilis evasit: intestino scilicèt gangrænâ correpto; ut observavi, institutâ prognosi, ex signis, delirio nimirùm cæteris symptomatis addito; doloribus statim & derepente absque manifestâ causâ cessantibus? Hæc qui attento perpenderit animo, si Medicus, totis incumbat viribus prophylaxi: si ægrotus, lubens & obsequens, præscriptam à Medico amplectatur diætam. Utetur scilicèt alimentis euchymis, eupeptisque. Salsa, acria, piperata, fumo indurata, aut muriâ condita, vitabit. Salsamentorum omne genus, calidaque omnia, vinum meracum, aut ardentes horrebit liquores. Humectantibus tantùm cibis & potu, alvumque lenientibus, vesci non dedignabitur. Herbas præsertim, quæ inter alimenta locum sibi vindicant, spinaciam, lactucam, betam, fatuam licèt, fabris non relinquet, aut alias consimiles. Fructus maturos, refrigerantes, persica, pruna, poma, pepones, & ficus, quæ alvum ducunt, sibi apponi curabit. Nec in deliciis habebit immaturos, & austeros, quos nisi coctos & ratò degustabit. Largo aquæ potu assumpta diluet, acetariis oleo perfusis appetitum ciere poterit: ac modo sero lactis, alvum pigram ducere: aut ipsius siliquæ ægyptiacæ medullâ, simplici, vel coctâ, saccharove conditâ, vel denique interno oleorum usu. Sulphura sulphuribus solvi, apud Chymicos audies; hinc in constipatis, si certò alvum ducere volueris, nunquam sine oleo injiciantur enemata. Nam in fæcum duritie ἡγεμονικὸν oleum. Alia sæpè medicamenta fæcibus intactis durioribus transeunt. At sæpè moles quædam fæcum indurata, caloris vi, intestinum rectum extremum, ita obturat; ut quævis medicamenta, etiam actiora, reddat irrita. tum laxantia simplicia, oleo permixta, paginam omnem adimplent: malaque inde ventura bene multa, præcavent. Nam fæces in intestinis diutiùs commorantes, caput tentant, totum corpus excalefaciunt. Si duræ, tenesmos & dysenterias excitant, ileum quoque sæpius, internæ intestinorum tunicæ adhærentes, creant. Quod quidem symptoma herniæ superveniens, ni citò occurritur, omni lenientium, emollientium, laxantiumve genere, aut denique ipsâ sectione, lethale evadit. Hæc omnia facili negotio averti possent, si præcautio adhiberetur. Carent enim his malis, quibus alvus est laxa, & dejectio facilis. in illorum intestinis fæces moras non trahunt, nec timent symptoma horrendum, ex contraria diathesi oriri solitum. Ergo

Chirur. Curtor. l. 21. c. 21.

De Medicina efficaci Pyrotech. Chirur. l. 2. p. 357.

Cesar Magatus de rarâ vulnerum curatione & tarandatum abusu.

Alvi laxitas præcavet Ileum in herniosis.

Proponebat Parisiis ANTONIUS CASAMAJOR, Benearnensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1721. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.